



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De virgine, cui Christus frequenter vigilanti apparet in cruce, cap. 10.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13177**

472 DE DIVERSIS VISIONIBVS

bat enim demisso vultu, sola tunica indutus atque dis-  
cinctus, manibus etiam dimissis: tunica eius flauum  
videbatur habere colorem, & sicut ipsa mihi retulit,  
in diuersis angulis domus, deni ac duodeni, ad instar  
ciconiarum congregati susurrabant, de morte illius  
tractantes. Erat autem domus summi pontificis, in  
qua acta sunt secundum historiam, quæ huic ancillæ  
Dei ostensa sunt spiritualiter. Quantum huiusmodi  
visiones mentes religiosas compungant, visio sequens  
ostendit, quæ corporalis est.

CAPVT X.

**N**Vper virgo quædam religiosa, licet adhuc in  
habitu seculari posita, Suppriori nostro Ger-  
laco cum multis lacrymis retulit, quod Salua-  
torem in cruce pendentem cruentis vulneribus vide-  
re soleat: nec minus, ait, illum video, si passione & do-  
lore urgente oculos clausero. Ecce hic habes evidens  
argumentum, quod visio illa, de qua dictum est supe-  
rius capitulo quinto, fuerit corporalis: femine verò  
iam dicta ex eisdem visionibus tantum profecit, ut de  
Domini passione neque cogitare neque loqui possit  
sine lacrymis & contritione. Quod autem de eadem  
beatissima passione quasi de fonte torrentes lacryma-  
rum deriuentur, sermo sequens declarat: Lacryma, qui-  
citò siccatur, torrenti comparatur.

CAPVT XI.

**I**N Claustro sacerdos quidam ante annos paucos de-  
functus est, homo simplex & illiteratus, Daniel no-  
mine, vitæ satis duræ; orationibus & ieiunijs infatigabiliter operam dabat, omnes pitancias sibi appo-  
sitas recusabat. Hic cum vice quadam piscem sibi ab  
Abbate missum refutasset, sequenti nocte in choro dia-  
bolum prope se vidit assistere, & piscem, quæ ipse de-  
spexerat, manducare; pro qua inobediencia corporali-  
ter quidem satisfecit, sed non plene ab obstinatione  
recessit. Positus verò in agone, sensibusque iam vni-  
uersis præmortuus, sola in oratione labia mouebat, &  
vox penitus non audiebatur, & sic vltimum in psallen-  
do spiritum reddidit. Iste Daniel multas reuelationes  
habuit,